

urgente præcepto, non elicerent, utpote destituti gratiâ efficaci, sinè quâ juxta secundam Quesnelli propositionem nihil boni fieri potest, sive omne bonum impossibile est.

2 Prima inter quinque Jansenianas propositio, *Temeraria, impia, blasphemata, anathemate damnata, & hæretica*, judicio Innocentii X. Alexandri VII. & aliorum Pontificum, præcipuè CLEMENTIS XI. est hæc: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundam præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* Ubi de ineffaciter volentibus, & conantibus Jansenio sermonem esse, constat ex ipso libro 3. de gratiâ Christi cap. 13. unde propositio excerpta est, ubi de justis illis paulò post verba propositionis damnatæ dicit: *Cujus (concupiscentiæ) renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plene velit, non integre velit, non totâ voluntate velit.*

3 Et satis certum apud omnes est, volitionem, atque conatum efficacem esse ipsam præcepti observationem, vel ab ea inseparabilem. Hoc supposito, Quesnelli propositio continet sensum totius primæ Jansenianæ. Nam juxta Quesnellum, quoadcunque justus destituitur gratiâ efficaci, etsi velit, & conetur, secundum præsentem quas habet vires, præcepta Dei servare non potest, sive præcepta Dei sunt ipsi servatu impossibilia: deest quoque gratia, quâ possibilia fiant. Secunda Jansenii propositio hæretica est: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam restituitur*, nempe resistentiâ efficaci; de qua sola ibi sermo est; omnis scilicet gratia in statu naturæ lapsæ juxta Jansenium semper obtinet effectum, cuius in illis circumstantiis capax est. Ita docet lib. 1. de gratia Salvat. cap. 1. *Nullum adjutorium sufficiens datur post lapsum, quin simul efficax sit.* cap. 25. *Nulla omnino gratia Christi suo effectu caret, sed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Hoc sensu cap. 24. dicit: *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* In quibus etsi Jansenius gravissimè erraverit, gratiæ tamen efficaci nunquam resisti evidens est. Unde quisquis in hoc statu omnem gratiam credit efficacem, terminis omnino æquivalentibus asserit, *gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resisti*; uti advertunt omnes, qui Jansenii erroribus ab initio in hunc usque diem bellum indixere: inter quos Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedralis S. Petri disput. 21. sect. 2. ex citatis Jansenii verbis sic concludit: *Itaque manifestum est ex mente Jansenii, interiori gratia in statu naturæ lapsæ*

*nunquam resisti, cum asserat, in hoc statu omne adjutorium sufficiens esse efficax.* Atqui juxta propositionem Quesnelli sinè gratia efficaci in hoc statu nihil possumus; adeoque nulla gratia est sufficiens, quæ non est efficax; imò nulla gratia inefficax datur; quorum enim detur auxilium inutile, quòd nihil valeat, & solum inane auxilii nomen sortiatur? Atque ita præsens Quesnelli propositio complectitur sensum hujus secundæ Jansenianæ, *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam restituitur.*

4 Continet etiam hujus tertiæ pariter hæreticæ: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Si enim sinè gratia efficaci nihil possumus boni facere, nullam tentationem superare, quoties gratia efficax deest, necessariò tunc semper omittemus bonum, etiam præceptum, & necessariò tentationi succumbimus. Atqui omitendo bonum præceptum peccamus, & demeremur, uti & tentationi succumbendo. Igitur juxta Quesnellum ad demerendum in hoc statu non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione. Quæ autem demeriti, eadem & meriti est ratio.

5 Quinta Jansenii propositio sic habet: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quam hæc censurâ perfrinxere Pontifices. *Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

6 Si autem sinè gratiâ efficaci nihil boni facere possumus, ut docet Quesnelli propositio, clarum est nullum adultum sinè gratiâ efficaci posse salutem consequi, aut mereri, nec minùs evidens est, nullum, præter prædestinatos, habuisse gratiam efficacem ad consequendam salutem; soli igitur prædestinati juxta eundem potuere salutem consequi: ergo salutem solorum prædestinatorum Christus suâ morte promeritus est, solorum prædestinatorum salutem seridò voluit, pro solorum prædestinatorum salute Patrem oravit: iis solis auxilia sufficientia, quibus perseverare in justitiâ, & salvari possent, largitus est; aliis nec obtulit, nec præparavit.

7 Veniamus ad propositiones ab Alexandro VIII. damnatas. Inter 31. prima est: *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in causâ suâ peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Si sinè gratiâ effi-